...udolphus Andreas

...im. Joan. Ultima inter coelituum ordines, praemissa debita responsione, collocatio.

VLTIMA
inter Cælituum Ordines,
præmissâ debitâ responsione,
COLLOCATIO.

CLARISSIMO OLIM EXCELLENTISSIMO AC SPECTABILI DOMINO

M. RUDOLPHO ANDREÆ MARGOWSKI

Philosophiæ & Medicinæ Doctori, Præsidenti Posnaniensi, Peraugusti Capituli Posnaniensis Medico Ordinario,

ASSIGNATA.

& dum

Jn Ecclesiâ Collegiata Posn: D. Mariæ Magdalenæ.

Iusta ei funebria maximo omnium dolore persolverentur,

A

M. CASIMIRO JOANNE CEYPLER, Philosophiæ in Universitate Crac: Doctore, in Academia Posn: Pöeseos Professore,

in perennem tanti Viri memoriam, *parentali calamo.*

DENUNCIATA

Anno, quo Deus inter filios hominum locum habitationis suæ elegit. 1699. die 11, Mai.
Typis Academiæ Posnaniensis,

VLTIMA

inter Cælituum Ordines,
præmissâ debitâ responsione,
COLLOCATIO.

QUàm inane sit!
fixum in vita instabili locum quærere,
non ipsa tantùm mortales edocet
viva mutationis imago sors.
Etiam Mors Magistra hujus fidelis est,
quæ per crudam fatorum potentiam,
instabilem omnibus, diuturnum paucis, æternum nulli,
locum in Orbe concessum, sonorâ denunciat voce.
Quem Tyrio murice decorum Regale bajulat solium,
illum mox funebrale capit Mausoleum.
Cui nunc curulis inter Consos Reipublicæ concessa,
mox illi inter putridos cadaverum ordines urna designatur.
Ex Cathedra nempe ad feretrum, ex arce ad arctum sarcophagum,
ex suggesto ad sepulchrum, ex palatio ad pallentia mortis adyta,
vocant decreta fatorum.
Hæccine pro tantis meritis merces?
Talisne vestra pro sollicitis laboribus promotio?
E vita tollere ad altiora culmina tollendos.
Tristis hic & inverso currens ordine ascensus:
ad sepulchrales vocari vmbras,
ad obscurum detrudi tumulum.
Felices animæ!
Quibus hos *cognoscere primùm* gradus concessum est,
qui dum attollunt, deprimunt,
dum elevant, cum dedecore & dolore deijciunt.
Feli-

Felices animæ!
Quibus *in domos superas scandere cura* præcipua est,
& pro loco inter Cælitûm Ordines capessendo,
non grave est subire certamen,
imò jucundum, debitam responsionem præmittere.
Solennis nempe hæc Superûm consuetudo,
neminem suo annumerari consortio,
nisi quem responsio virtuti ex asse correspondens commendat.
Hâc arte Pollux & Hercules
Innixus, arces attigit igneas.
Tua hæc vnica sollicitudo fuerat,
Clarissime olim Excellentissime ac Spectabilis Domine
M. RVDOLPHE
ANDREA
MARGOWSKI
Philosophiæ & Medicinæ Doctor,
Posnaniensis PRÆSIDENS,
Peraugusti Capituli Posnaniensis
Medice Ordinarie,
Hic vnicus anxiæ Tuæ mentis conatus,
Ut dignam in Tuis rectefactis responsionē præmitteres,
quâ augustissimis negotiorum arbitris, virtuti & sapientiæ placens,
è Tripode illarum sanctiori,
non vulgare de Te judicium promereri posses.
Et quidem hoc, auspicato recepisti successu:
quod, si non rigidè extorquebant,
certè non mediocri ad id concitabant œstro magnæ animi dotes.
Ita nempe Tuam in flore primævo componebas indolem,
Ut arcanis cunctorum sensibus nil aliud relinqueres,
nisi Te pro sublimiori loco dignam responsionem expedire.

Hinc in Stagyritica Porticu,
inter Laureata Philosophici Senatûs Capita,
jure Tibi eruditarum mentium Coronatrix Cracia Pallas locū obtulit,
vel ipso promovente Aristotele,
qui augustam intra Tuum pectus sibi fixit Peripatum.
Non fucata tum demum hîc digna gessisti panegyri,
adeo;
Ut ad fragrantissima SZEMBECIANI Hymetti Rosaria invitareris,
vbi succrescentes in Patriæ decorem & odorem novellas rosas,
instructionis prudentissimæ culturâ imbueres.
Inter Gentilitia WODZICIANA Lumina,
splendore gratiarum in Te derivantium,
illustris enituisti Castor:
quòd teneras stirpis hujus Stellas,
in nitidissima 1mæ magnitudinis Sidera excreturas,
radianti eruditionis luce adauxeris.
In tantis animi decoribus,
Te rectioris sapientiæ legibus verè respondentem,
Lubranscia æstimavit Pallas,
& suo inferre Academo cupiens, Lycæum Tibi Sophorum aperuit:
ubi pro loco digna respondens oracula,
evasisti cunctorum delicium,
& stupenda conspirantium in Te affectuum meta.
Ac tandem, cum Philosophicas rerum causas
perspicaci sagacitate scrutari desijsti,
Phæbeæ artis desiderium
in Ausonias oras,
Medicum Te priùs, quàm esses, intulit.
Stupente Patauino Collegio,
quòd *Phæbo ante alios dilectus Iapix Iasides* evasisses.
cuïus *captus amore*,
ipse suas artes, sua munera lætus Apollo
in Te recondit,
& quem *scire potestates herbarum, usumq; medendi* voluit.
vnde

vnde *retorto Pæonium in morem succinctus amictu*
& Hyppocratico coronatus galero,
Machaoniæ artis Doctor celeberrimus,
applaudente Patavino consessu es salutatus.
Æsculapiū Te redeuntē Posnæ Pergama cōprobârunt,
Divinâ arte plurimorum symptomatibus succurrentem
Nec mirum: si Gentilitiæ Posnan: Cathedræ Claves
tot magnorum cordium Tibi aperuerunt conclave,
& Te salutis tantorū Virorū fidū elegerunt Podalirium,
in quo Galenum, Dioscoridem, *Paracelsum*,
aliaq; sexcenta Divinæ huius artis Numina
perspicatior prudentûm acies latuisse vidit.
Ergo Tuæ naturæ dotum excellentia,
maturi judicii & verè solidi genii robore suffulta,
Te GOSCIEWICIANO nexuit sangvini,
toties Consularibus fascibus ornato,
dum concordes junxit mansura in fœdera dextras.
Hinc vrbis totius non oculos tantùm,
sed intimiores quoq; affectus in Te convertisti,
quòd Te immodicos ominaretur sibi allaturū fructus.
Plus dicam,
prompta Tua, gravissimorum etiam negotiorum expeditio,
dexteritas in agendo non vile naturæ munus,
favor magnorum Virorum in Te concentratus,
grandes ad id stimuli fuerant;
Ut Posniacæ Turres Tibi suum inclinarent verticem,
Teq; vltro intra sui ambitum invitarent,
ipsâ id æquitatis ordinante lege,
quæ jubet, *ut probitas magnos ingeniumq; faciat.*
Faustum itaq; intulisti passum,
in spectatissimum Consulum Posnaniensiū Senaculum
vel ipsâ tripudiante hilariùs vrbe,
ad optatissimum tanti Amphionis adventum,
cui & fera corda movere, & saxeos emollire animos,

 non

non eventus, sed innata fuerat potestas.
Uno Tuo ingressu,
Patrem Te & Tutorem sincerum monstrâsti Civibus,
Patrem in publici emolumenti augmentis,
Tutorem in amotione incommodorum,
quæ Epidaureo acutiùs serpente alonge præuidens,
fideli non minùs secundo reprimebas successu.
Neq; hîc ad calculos reuocare decreui,
sollicitam de Vrbe curam,
publica priuataq; concepta & simul absoluta negotia,
saluberrima Civium integritati consilia.
Vnum dixisse satis,
Te Consulem Posnaniæ fuisse magnumq; Consum.
Præesse Vrbi bis Tibi obtigit,
qui semper præeras doctrinâ, moribus, consilio
Consulares fasces geminis delatas vicibus tenuisti,
illis non vanum incutientes pavorem,
quorum mentes Catilinaria inuasit conspiratio.
Sub hoc vrbis regimine, & prementibus curis,
indefessum Te monstrâsti Herculem,
tantas moles non sine gloria sustinens.
Et quia *nullo premitur onere, qui Cælum tulit:*
tot inter munera & onera
laboriosas animi fatigationes, aliorum applaudentes honori, formare,
non labor, sed oblectatio Tibi fuerat.
omnibus facilè assentientibus,
Te totâ vitâ pro altiori loco dignè respondere.
At cùm Cracoviensis Universitas
inter veneranda Medicæ Facultatis Capita locum Tibi offert,
alacris Tuæ responsionis expectatrix,
nil nisi vale luctuosum Te respondere stupet, imò gemit.
Valeas ipse,
Doctorum gemma, Civium cor, Vrbis decus,
cunctorum delicium,
& loco, quem præmissâ rectefactorum responsione meruisti,
inter Cælituum Ordines gaudeas.

non